

1

Genesis 1:1 - 2:2

2

In principio creávit Deus cælum et terram.

*Terra autem erat inánis et vácuá, et
ténebræ erant super fáciem abyssi : et
spíritus Dei ferebátur super aquas.*

Dixitque Deus : «Fiat lux.» Et facta est lux.

Et vidit Deus lucem quod esset bona : et divisit lucem a ténébris.

Appellavitque lucem **Diem**, et ténébras **Noctem** : factumque est vésperae et mane, **dies unus**

Dixit quoque Deus : «Fiat firmaméntum in médio aquárum : et dívidat aquas ab aquis.»

Et fecit Deus firmaméntum, divisítque aquas, quæ erant sub firmaménto, ab his, quæ erant super firmaméntum. Et factum est ita.

Vocavítque Deus firmaméntum, **Cælum** : et factum est vésperè et mane, **dies secúndus**.

Dixit vero Deus : «Congregéntur aquæ,
quæ sub cælo sunt, in locum unum : et
appáreat árida.» Et factum est ita.

Et vocávit Deus áridam **Terram**,
congregationésque aquárum appellávit **Mária**.
Et vidit Deus quod esset bonum.

Et ait : «Gérminet terra herbam viréntem, et faciéntem semen, et lignum pomíferum fáciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetípso sit super terram.» Et factum est ita.

Et prótulit terra herbam viréntem, et faciéntem semen juxta genus suum, lignúmque fáciens fructum, et habens unumquódque seméntem secúndum spéciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum.

*Et factum est vésperé et mane, **dies tértius.***

Dixit autem Deus : «Fiant luminária in firmaménto cæli, et dívidant diem ac noctem, et sint in signa et témpora, et dies et annos : ut lúceant in firmaménto cæli, et illúminent terram.» Et factum est ita.

Fecítque Deus duo luminária magna : lumináre majus, ut præéssset diéi : et lumináre minus, ut præéssset nocti : et stellas.

Et pósuit eas in firmaménto cæli, ut lucérent super terram, et præéssent diéi ac nocti, et dividérent lucem ac ténebras. Et vidit Deus quod esset bonum.

*Et factum est véspere et mane, **dies quartus.***

Dixit étiam Deus : «Prodúcant aquæ reptíle ánimæ vivéntis, et volátile super terram sub firmaménto cæli.»

Creavítque Deus cete grándia, et omnem ánimam vivéntem atque motábilem, quam prodúxerant aquæ in spécies suas, et omne volátile secúndum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum.

Benedixítque eis, dicens : «Créscite, et multiplicámini, et repléte aquas maris : avésque multiplicéntur super terram.»

Et factum est véspere et mane, **dies quintus.**

Dixit quoque Deus : «Producat terra animam viventem in genere suo, juménta, et reptília, et béstias terræ secúndum spécies suas.» Factúmque est ita.

Et fecit Deus béstias terræ juxta spécies suas, et juménta, et omne réptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum.

Et ait : «Faciámus hóminem ad imáginem et similitúdinem nostram : et præsit píscibus maris, et volatílibus cæli, et béstiis, universaéque terræ, omníque réptili, quod movétur in terra.»

Et creávit Deus hóminem ad imáginem suam : ad imáginem Dei creávit illum, másculum et féminam creávit eos.

Benedixítque illis Deus, et ait : «Créscite et multiplicámini, et repléte terram, et subjícite eam, et dominámini píscibus maris, et volatílibus cæli, et univérsis animántibus, quæ movéntur super terram.»

Dixitque Deus : «Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam : et cunctis animantibus terræ, omnique volucris cæli, et universis quæ moventur in terra, et in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum.» Et factum est ita.

*Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. Et factum est vespere et mane, **dies sextus.***

*Igitur perfecti sunt caeli et terra, et omnis
ornatus eorum.*

*Complevitque Deus die septimo opus suum
quod fecerat : et requievit die septimo ab
universo opere quod operatus erat.*